DE JOANNA PAPISSA DISSERTATIO

PETRI BUSENELLI C. R.

EX-GENERALIS,

In Gymnaſio Patavino Publici Juris Canonici Profeſſoris.

PATAVII, MDCCLXIV.

Ex Typographia Conzatti.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

35.4 A 19

PE

S

de
ſiſti
neri
clar
tra
man

Google

PETRO VENDRAMENO
SENATORI AMPLISSIMO
PATAVII PROVISORI

D. PETRUS BUSENELLUS.

ECce tibi, Senator Ampliſſime, brevis de Joanna Papiſſa diſſertatio ſiſtitur, inter multas mei muneris partes in publicam hanc clariſſimam lucem producta, contra quoſdam nuperos Sedis Romanæ vituperatores, qui eam

non tantum levibus, ac nugatoriis, verum etiam tetricis monſtris dehoneſtare contendunt. Hanc me edere pudor vetuiſſet, ſi me multiplex, graviſque ratio non impuliſſet. Impulit autem quorumdam poſtulatio, quibus opus eſt indulgere. Impulit cauſa ipſa Joannæ Papiſſæ e cineribus recens eruta, novis ambagibus, & coloribus adumbrata. Impulit tandem me Singularis erga Te mei animi cultus, & obſervantia, quæ tanta eſt, quanta tuorum meritorum eſt amplitudo. Hinc mihi nimis amplus aperiretur dicendi campus, neque mehercule intra brevis epiſtolæ fines mea contineretur Oratio, ſi tuos Magiſtratus, tuas expeditiones fu-

ren-

rente bello, tua egregia facinora domi, foriſque pro Patria ſuſcepta prædicare vellem. Prædicant præſertim hoc tempore Patavini omnes, ajuntque, Te ſibi Præſidem, veluti Patrem a Superis peculiari providentia datum, qui Civitati huic, ac Provinciæ Univerſæ in Summis annonæ anguſtiis, & difficultatibus præſto eſſet. Prædicat ad tuæ gloriæ cumulum virtutem tuam ac magnitudinem Eduardus Auguſtus Dux Eboracenſis, tot tantiſque nominibus commendatus, quem ſummis honoribus dignitati reſpondentibus excepiſti, in ejus officium nec vigiliis, neque ſumptibus peperciſti, Patavinam Urbem erexiſti, & majori in lu-

mine collocaſti, Exteras quoque gentes lætitia ſane mirabili perfudiſti. Ego vero tanti Principis, omniumque vota ſecutus, illud inſuper Te oro, enixeque precor, ut munuſculum hoc ea, qua ſoles, humanitate excipias, & ea, qua polles, auctoritate defendas. Ita Te Deus Optimus Maximus Salvum & incolumen ad Reipublicæ felicitatem quam diutiſſime ſervet, tuaſque cogitationes atque conſilia, a bono publico numquam aberrantia fortunet, detque Filio Tuo, magnæ ſpei puero, ut annis creſcentibus, Tibi par, nec Majoribus impar evadat.

Patavii Nonis Sextilibus. 1764.

DE JOANNA PAPISSA.

MAgnopere vereor, ne actum agere videar, ſi cauſam Joannæ Papiſſæ jampridem a Clariſſimis viris fuſe & naviter exagitatam, & tamquam fabulam ab aliis riſu & cachinnis rejectam, ab aliis elato ſupercilio exploſam, & prorſus expunctam; ad novum Tribunal, licet inuitus, appellem. Atquemadmodum camarinam hanc

Samuel Manreſius, hiſtoriarum Profeſſor Groteringiæ in Friſia, edito tractatu de Joanna Papiſſa reſtituta, jamdudum novare cœpit, qui tamen brevi refractus eſt, & ad verecundiam uſque redactus, ita hoc ævo, quo nullum fortaſſe fuit elegantius, prodit a longinquo novus calumniator, qui eadem pice tinctus, novas nebulas offundit. Quare nonnullorum, quos magni facio, poſtulationibus impulſus conabor male conſutam fabulam proſternere, Apoſtolicæ Sedis dignitatem, Majeſtatemque ſuſtinere, pro loco, quem teneo, pro munere, quo fungor, pro fide, quam rite,

ſan-

ſanctequé ſpopondi, ut novator ſanæ menti reſtitutus, tam ludicrum commentum jam edidiſſe vereatur, & fabula omnium fabularum fabuloſiſſima, ſi fieri poteſt, poſtremo funere tumuletur.

Joannam ergo Papiſſam in Sede Petri ſediſſe annos duos, menſem unum, dies quatuor, putida, & perperam recuſa fabula eſt, quam malignitas peperit, rumor aluit, credulitas roboravit. Nonnulli enim heterodoxi hanc fabulam primum excitarunt, eamque propugnare pergunt, ut nigras notas Romanæ Eccleſiæ inurant. De tempore, origine, nomine, Patria hujus Papiſſæ nugantur, & im-

impudenti ore mentiuntur. Mentiuntur porro de tempore. Venditant enim inter Leonem IV., & Benedictum III. mulierem annis duobus, quinque menſibus, & diebus quatuor Pontificiam ſedem occupaſſe. Verumtamen inter laudatos Pontifices fœminæ Papiſſæ, ejuſque ſeſſioni nullum temporis intervallum poteſt aſſignari. Enim vero Leo IV. 17. Julii anno 855. defunctus eſt, poſtquam gloriam numquam intermorituram ſibi ſit conſecutus. Hic equidem in Concilio Romano Anaſtaſium Presbyterum Cardinalem ſuo gradu dejecit, cum parochiam ſuam per quinquennium deſeruiſ-

ſet;

ſet; Hic flagrantiſſimum Urbis incendium ſigno crucis extinxit, ſerpentem teterrimum ſolo afflatu homines abſumentem exterminavit; virtutibus, pluribuſque miraculis clarus illuxit. Huic Benedictus Tertius immediate ſucceſſit. Hic quippe licet inuitus, atque reluctans, die 29. Septembris anno 855. univerſo Clero, populoque plaudente, Pontifex Maximus eſt renuntiatus, & Anaſtaſio Presbytero, ab Anteceſſore ordine Cardinalium expuncto & cum factioſis hominibus ſchiſma excitante, longe ablegato, in Romano ſolio pacifice ſedit, ut omnia veritatis oracula clamant.

Cla-

Clamat Lupus Abbas Ferrarienſis, Abbas Viennenſis, Anaſtaſius Bibliothecarius in vita ejuſdem Benedicti, qui addit, Imperatorem, nuntio hujus Pontificiæ creationis accepto, legatos miſiſſe, eique, ut moris erat, dona auguſta obtuliſſe. Cum itaque Leo IV. die decima ſeptima Julii anni ejuſdem objerit, & cum reliquum tempus uſque ad vigeſimumnonum Septembris in Benedicti electione, & memorati ſchiſmatis extinctione conſumptum fuerit, profecto conſequitur, inter Leon. IV. & Benedictum III. tempus regnandi Joannæ Papiſſæ haud quaquam ſuperfuiſſe. Neque vero inter

Ro-

Romanos Pontifices, qui ſunt ſubſecuti, hoc idolum reponi poteſt, vel collocari, cum Benedicto III. Nicolaus Primus, Nicolao I. Adrianus Secundus, Adriano II. Joannes VIII. immediate ſucceſſerit, ut omnes Annaliſtæ, Annaleſque fatentur, idque affingere, eſſet inſuper extra chorum longe vagari. At cur diſpendium temporis facimus, cum tempus Joannæ Papiſſæ ſeſſioni fuiſſe, omnes, qui mente non carent, perfracte negent. Negant Regino Prumienſis, Hincmarus Rhemenſis, Benedictus III., Nicolaus I. Epiſtola 47. omneſque Catholici, quodque magis eſt,

Pho-

Photius, Cerularius, aliique infeſtiſſimi Eccleſiæ hoſtes, quibus cor maxime ſapit, quique ſedem Apoſtolicam torvis ſemper oculis intuentur.

Sed præſtat juxta fidem obſtrictam hujus fabulæ originem intueri, in qua ſtatuenda plurimi acriter diſſident, proprio enſe ſe jugulant, & mutuis telis invicem conflictantur. Sunt, qui cum Joanne Aventino (*a*) putant, fabulæ cauſam prębuiſſe Joannem IX., quem ut ſibi familiarem, Theodora Scortum nobile, & Imperioſum Romanis impoſuit, primumque Sacerdotem curavit inſtitui.

Sunt,

(*a*) Lib. 4. Annalium Bojorum.

 257

Sunt, qui cum Panvinio (*a*) cenſent ex pravis corruptiſque moribus Joannis Papæ XII., ideoque ex contemptu hanc fabulam emanaſſe. Sunt, qui cum Baronio ad annum 879. ob nimiam ejuſdem Pontificis facilitatem, ac mollitudinem fluxiſſe arbitrantur, cum ſcilicet ſceleſtiſſimo Spadoni Photio, invaſori Sedis Conſtantinopolitanæ, ejecto Ignatio legitimo Epiſcopo, reſiſtere non ſit auſus, cumque victus a Semiviro, fracto flacidoque animo ageret, imbellis fœminæ inſtar, non vir, ſed fœmina appellaretur; Hinc contumeliæ nomen in falſitatis opinionem, menda-

cium-

(*a*) In annotationibus ad Platinam.

ciumque migravit. Accedunt huc alii fidei, rerum & temporum expertes, qui pro commenti origine putidiora comminiſcuntur. Comminiſcuntur hanc fabulam de Joanna Papiſſa ex quadam fœmina exortam fuiſſe, quam ferunt, Conſtantinopoli fuiſſe Pontificem, & deinde paulatim omiſſo nomine Conſtantinopolitana, famam & opinionem de Catholico Pontifice remanſiſſe, qua occaſione arrepta, nugigeruli, & Eccleſiæ oſores ſparſerunt in vulgus, fœminam illam Romanum Pontificem extitiſſe. Sunt, qui cum Allatio in confutatione fabulæ de Joanna Papiſſa ad quandam Thio-

tam

tam revocant, mulierem Pſeudoprophetiſſam ſanctitatem malis artibus oſtentantem, quæ regnante Leone IV. a Germaniꝫ Epiſcopis in Concilio congregatis proſcripta fuit, atque damnata. Nec quiſquam me damnare audeat, ſi, ne ipſe quidquam de origine prætermittam, phantaſma ab Anglis excogitatum, noviterque delatum, feſtivum ſane, vel ſummis labiis attigero. Britanni quidam Papiſſam Joannam e ſuis laribus ortam eſſe gloriantur. Tradunt, Joannam quandam Anglicam in puerili adhuc ætate, cum amatore ſuo, viro docto, ſexum mentientem Athenas abiiſſe,

ibique adeo in litteris profeciſſe, ut tandem Romæ degens, in ſacris quoque diſciplinis longe cæteros antecelluerit, magnum nomen, auctoritatemque acquiſierit, omniumque animos ſibi devinxerit. Eapropter Leone IV. Defuncto, totius Cleri ſuffragiis renuntiatam fuiſſe Pontificem, Ludovicum II. Imperatorem coronaſſe, ac tandem a familiari turpiter cognitam, factamque prægnantem, magno comitatu ſolemne iter agentem, partus doloribus tortam, & impetitam inter Sanctum Clementem & Colliſæum fuiſſe feſtinato funere abreptam. Hinc vulgare illud Poetæ dictum erupit:

pit : *Papa Pater Patrum peperit Papiſſa Papillum.*

At vereantur tot,tantaſque fallacias iterum in lucem edere,totum ferme Æſopum olentes, quæ mehercle decem Democritis riſum, pulmoneſque moverent. Id enim eſt ludificare, & cum ludificantibus ludere, eſt nodum in Scirpo quærere, qui melius ſolvitur, ſi contemnatur. Ubinam eo ævo Athenarum Academiæ? Ubinam ſacra, vel profana, autographa, non adulterina præſto ſunt monimenta, quæ poſteritati tradiderint, fęminam ignotam, tempori non congruentem, origine & Patria certa carentem, contra divinum præce-

ptum, contra inviolatas Eccleſiæ leges, ſine ullo Sacro ordine, ſine ullo anteactæ vitæ teſtimonio, univerſa Eccleſiaſtica Hierarchia in hac electione capta, atque decepta, quæ in viris præſertim Maximis eligendis, pulverem excutere, nævos etiam minimos obijcere conſuevit, Pontificem Maximum tam ſupine fuiſſe creatam? Hoc nec dignum quidem Palæmone commentum eſt, a quibuſdam Lutheranis confictum, ut Romanam Sedem, tamquam turpem & impudicam projiciant, atque proſternant, quod Benedictus XIV. (*a*) firmiter, ſin-

(*a*) De ſervorum Dei Beatificatione, & Bearum Canonizatione.

ſapienterque firmavit, quem ſingula futura ſæcula admirabuntur. Sed mihi non minus mirum eſt, ludificantes adeo deſipere, ut nullum coævorum teſtimonium poſſint afferre. Nihil Anaſtaſius Bibliothecarius, nihil Joannes Diaconus, nihil Ado, nihil Regino, nihil Abbas Prumienſis, nihil Luitprandus nihil Hincmarus Contractus, nihil Hugo Floriacenſis, nihil Leo Hoſtienſis, qui hiſtorias noni ſæculi compilarunt. Quid plura nihil graviores Eccleſiæ hoſtes, nihil Stylianus, nihil Blondellus, nihil alii plurimi non lubricæ auctoritatis, qui in Romanam Sedem turpiſſime de-

decorandam ſuperos moverunt, & Acheronta. Hujus ergo phantaſmatis artifices, hæreſi polluti, numero, viribus, nomine omnino impares tenentur ſuis ducibus, atque magiſtris omnibus numeris longe majoribus, victrices faſces ſubmittere, ſeque contritos, victoſque fateri.

Verum id optare poſſumus, ſperare non poſſumus. Vocibus rerum inanibus, nugiſque bullatis fabulam nocturna verſant manu, verſantque diurna, nova & vetera moliri, atque fucare innituntur. Innituntur tamquam ferreo baculo Chronicis Mariani Scoti, Sigeberti,

Mar-

Martini Poloni, Speculo hiſtoriali Vincentii Bellovacenſis Ordinis Prædicatorum, Antonino Florentino Archiepiſcopo, qui (*a*) hiſtoriam de Joanna Papiſſa poſteris firmo calamo demandarunt. Hi tamen noctuas ferunt Athenas. Imprimis quis ignorat, vel ſimulat ignorare, hæreticorum morem ſemper fuiſſe, priſcos Codices corrumpere & intorquere? At cedo libenter, laudatos Codices non fuiſſe corruptos; in antiquis certe horumce auctorum Codicibus de Joanna Papiſſa nec vola eſt, nec veſtigium. Teſtis eſt de ſinceris Mariani Scoti Codicibus Leo Alla-

(*a*) Parte II. Chronicorum tit. *6*.

tius; Teſtis eſt autographus Codex Cœnobij Gemblacenſis de Codicibus Sigeberti; Teſtis eſt Ptolemæus Lucenſis de Codicibus Bellovacenſis, qui hiſtoriam Eccleſiaſticam diſertiſſime ſcripſit, idque conceptiſſimis verbis expreſſit. *Omnes, quos legi, præter Martinum Polonum, tradunt poſt Leonem IV. Benedictum III. fuiſſe; Martinus enim Polonus ponit Joannam Anglicam*. Ego vero arbitror, neque Polonum hanc fabulam venditaſſe; ipſumque plures acriter vindicarunt. Vindicavit eruditus Eduardus in ſumma Divi Thomæ concinnata; vindicavit Leo Allatius, qui refert, ſe in biblio-

bliotheca Vaticana exemplar Martini Poloni legiſſe, & Joannam Papiſſam non repe-riſſe. Vindicavit Lambecius libro II. Bibliothecæ Cæſa-reæ, ubi quatuor Martini Poloni Codices eſſe fatetur, nullam tamen de Papiſſa eſ-ſe mentionem. Inde colligere facile eſt, Martinum Polonum falſo eſſe inſimulatum, quoddam ejuſdem Chronicon fuiſſe vitiatum, & credulitatem ſubrepentem ignaros, incautoſque homines occupaſſe.

Minus auctoritas Antonini hac in re debet animos occupare. Conſtat enim, Sanctum Antiſtitem fama mentiri ſolita non ſemel fuiſſe

deceptum. Hinc Antonini Sanctitatem colimus, integritatem, virtuteſque admiramur, peritiam in Sacris litteris, ſacroque jure ſuſpicimus, delectum vero in ſcribenda hiſtoria admodum deſideramus. Non mirum inde, in factis pluribus ſcribendis non modicum claudicaſſe. Scripſit porro de Pontifice Maximo, de Clemente V. ipſum fuiſſe libidini deditum, res ſacras venumdare ſolitum fuiſſe, ſtatum animæ Neptis magicis artibus exploraſſe, quæ quam clauda, atque falſa videantur & ſint, neque recens a ferula litterator ignorat. Non tamen ignoro, poſteriora verba

 263

ba Antonini ſatis oſtendere, anteactam narrationem multum ei fuiſſe ſuſpectam, nec fidem fabulæ præbuiſſe, mihique ita putanti Vincentius Bellovacenſis, Joannes Columna, aliique viri clariſſimi ſuccinunt.

Non ita ſuccinunt veritatis obtrectatores, qui in fabulæ præſidium abſona, & inveriſimilia ferunt. Ferunt, ſimulacrum Papiſſæ cum infante Romæ fuiſſe conflatum, eoque in loco erectum, ubi ſuccubuiſſe præſumunt, aliudque ſimulacrum de Papiſſę filio olim Romæ extitiſſę, hæcque a Romanis faſtis ſe accepiſſe gloriantur. Sed hi de levi fuco gloriantur.

Neque poſſum me continere, quin in geſtientem lætitiam erumpam, cum novi furfuris ſatores, licet paucorum jugerum reguli, pro fabulæ culmine Joannę Papiſſæ ingentia ſimulacra Romæ erigunt, atque confingunt. Alia enim apud Romanos olim illud ſimulacrum erigendi cauſa fuit, quam quæ exiſtimatur. Illud non Papiſſam, ſed gentium numen exhibuiſſe, Romanarum antiquitatum ſcriptores unanimi conſenſione docuerunt, & tamquam bifrons, & exitiale labefactarunt. Pari jure & auctoritate alterum ſimulacrum eſt explodendum, quod Papiſſæ filio poſitum dictitant alii.

Il-

Illud equidem Sixtus V. amovit, non ratione deteſtandæ memoriæ filii Papiſſæ, ut garriunt maleferiati, ſed viæ dilatandæ cauſa, ut loci illius anguſtia ſublata, Pontificum comitatui ſemita amplior fieret, & magis accommoda, quæ a Vaticano ducit ad Lateranum, ut mihi Romæ degenti explorata numiſmata, & monimenta patefecerunt.

At Vaticano relicto, ac Urbe dimiſſa properandum eſt, quo nuperi ſuaſores fabulæ pergunt. Pergunt Senas, quæ Joannam Papiſſam extitiſſe, citra omnem aleam dubitationis oſtendunt. Senenſes enim in Eccleſia Cathedra-

li

li ſtatuam Joannæ Papiſſæ inter alias Pontificias repoſuerunt, eamque Launojus facultatis Pariſienſis doctor, aliique plurimi ſe vidiſſe teſtantur. Hanc ſtatuam Papiſſæ inter Pontificias locum, ſedemque habuiſſe Senenſis hiſtoria vetus & nova teſtatur, anno 1760. in lucem emiſſa, quæ multis accitis teſtibus fidem facit, in laudato Senarum templo inter Leonem IV., & Benedictum III. Joannæ Papiſſæ ſimulacrum ab anno ſcilicet 1400. uſque ad annum 1600. firmum, immotumque extitiſſe, & pro vero habitum eſſe, cum falſum haberi non poſſit, quod Eccleſia Senen-

ſis,

ſis, & metropolitana, quod Civitas catholica, & Romę vicina, quod cordata gens, & ſemper exculta, quod traditio populorum tamquam indubium & firmum poſteritati reliquit. Ad cauſam augendam numiſma Bonvoglienti viri nobiliſſimi addunt, quod Joannam Papiſſam mirabiliter exprimit, ut alia multa jocularia ſilentio premam.

His fruſtra Æthiopem dealbare conantur, neque ad ea evellenda opus eſt, Apollinem ſciſcitari. Juvat tamen juxta Zeuſin Heracleotem, cum mulieris ſimulacrum ex crotoniatis Virginibus ſecernere juſſus eſſet, ad

ad veritatem veteris ſimulacri dignoſcendam, diligentiorem trutinam adhibere. Fateor ſtatuam Joannę Papiſſę in Eccleſia Cathedrali Senenſi olim inter Pontificias fuiſſe repoſitam, eamque viros plures atque doctiſſimos ratam habuiſſe, atque recognitam: quodque magis eſt, meipſum duobus ab hinc annis Senas tranſeuntem, ibique conſulto hac de cauſa immorantem, cum majus templum inviſerem, & pavimentum marmoreis ſegmentis mirifice inſculptum, avidis oculis perluſtrarem, locum ſtatuę Papiſſę perſpexiſſe, mihi ab Eccleſię cuſtodibus, & ſenioribus indica-

ca-

catum, & a recenti ejuſdem templi deſcriptione conſtanter aſſertum, & confirmatum.

Aſt quid per ſuperos probat? Neque nobis, neque poſteris negotium ſane faceſſit. Id primum a Novatoribus turpiſſime inventum, falſis lenociniis elaboratum, quod credulitate adauctum, incaute a Senenſibus hauſtum, & ſine examine deglutitum, ita eorum animos invaſit atque pertraxit, ut auguſtum idolum craſſa minerva fabulæ putidiſſimę conſecrarint. Senę tandem expergefactę monſtrum, quod ediderant, diu non tulerunt, & pudore ſuffuſę, ineluctabili

bili omnium eruditorum conſenſu comitante, ſolemni ritu abjurarunt. De qua re nihil mirari ſubit. Decretales enim, ne extra Juris noſtri fines vagari videamur, uſque ad Siricium Pontificem veras & indubias, veteres omnes exiſtimabant, quas hodie eruditi ſinguli e veſtigio abdicant, & tamquam falſas, & pſeudographas a litterarum cultoribus prorſus abdicandas eſſe decernunt. Olim donatio Conſtantini ab omnibus laudata fuit, atque probata, quam hodie nemo ſanę mentis infricta fronte non rejicit. Olim Romana ſub Silveſtro Concilia, Thurificatio Mar-

cel-

cellini, Sinveſſana in ejus cauſa Synodus adſtipulatores omnes veteres habuerunt, quę hodie tota eruditorum cohors expungit, explodit. Ut enim ſcite & eleganter Tertullianus (*a*) edocuit, *Veritatis ea conditio eſt, ut nemo ei præſcribere poſſit, non ſpatia temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegia Regionum.* Non ſpatia itaque temporum nimia inſcitia & credulitate irretita, non Senenſium patrocinia ſine criterio & ratione ſuſcepta, tam inſulſam fabulam, firmam, & immotam reddere potuerunt. Bonorum ſuperum beneficio Æneas Silvius

(*a*) De velandis Virginibus c. 1.

vius Piccolomineus, Pius II. deinde nuncupatus, primus dubitare cœpit, hujus commenti ludificationes, technaſque detexit, & Patriam a tanto dedecore vindicavit.

Ænea Silvio facem clariſſimam præferente, omnes litterarum cultores cujuſcumque loci, generis, & temporis in tam inſulſam fabulam conſpirarunt, & credulitate in fabulam converſa, ignorantiam, fraudemque exprobrantes, tam infame monſtrum junctis viribus repudiarunt. Porro hoc ſimulacrum anno 1600. ſub Clemente VIII., procurante cum Magno Etruriæ Duce, Cardinali Baronio, & Tarugio Senarum

Ar-

Archiepiſcopo, in Zachariæ Pontificis figuram translatum eſt, ut memoria tam inviſa & pudenda periret. Quinimo neminem latet, Mabillonio teſte, Alexandrum VII. Fabium antea Ghiſium, Statuam Joannæ Papiſſæ, licet in Zachariam Pontificem immutatam, edicto perenni amoviſſe, ut nullum tam deteſtabilis idoli veſtigium ullo umquam tempore ſupereſſet. Supereſt hic nobiliſſimi Bonvoglienti numiſmati occurrere, quod Joannam Papiſſam exhibet. De qua re nil profecto mirandum. Ibi enim fuit fabulæ fons, à qua fuſores ludos ſuos non ſemel hauſerunt. Quis forte ne-

neſcius, Sculptores & Pictores non raro fingere falſa? Hæc tamen viderint, quos non ſolida, ſed fucata delectant.

Non hic ergo cum his plus eſt immorandum, qui piſcantur in aere, & jaculo in medio mari venantur. Mihi ſatis fuerit, veritatem tamquam ducem, & pene Deam fidentiſſime reſeraſſe, putidum, atque recoctum de Joanna Papiſſa commentum, ignorantia, levitate, æſtu, odio, & invidentia, iterum e tenebris excitatum, ſana ac ſevera criticorum trutina penitus evulſiſſe, & Sedem Romanam a dicteriis, & vituperationibus æquiſſime vindicaſ-

Digitized by Google